



Catalogus Patrum Societatis Jesu

Couplet, Philippe

1686

Dilecto Filio Ferdinando Verbiest Vicario Provinciali Sinensi Societatis Jesu:
Innocentivs Papa Vndecimvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64697](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64697)



DILECTO FILIO
FERDINANDO VERBIEST
VICARIO PROVINCIALI
SINENSI
SOCIETATIS JESU:
INNOCENTIVS
PAPA VNDECIMVS.
DILECTE FILI SALUTEM.

INCREDIBILIS PROPE ARGUMENTUM
lætitiæ attulerunt nobis litteræ, quibus post devotas fi-
lialis tuæ erga nos observantiæ significationes, duplex
ex amplissimo isto Sinarum Regno munus ad nos detulisti,
Missale videlicet Romanum Sinensi idiomate conscriptum

& imagines Astronomicas Sinensi item more à te affabrè delineatas, ad conciliandum Catholicæ Fidei favorem gentis in omni disciplinâ liberaliter excultæ & ad omnem virtutem mirificè propensæ. Jucundissimum verò præ cæteris fuit ex iisdem Litteris cognoscere, quàm sapienter atque opportunè profanarum scientiarum usum ad Sinensium populorum salutem, & ad Christianæ fidei incrementum utilitatemque deflexeris, earum Beneficio repellens falsas criminationes & calumnias, quibus nonnulli in Christianum nomen invehebantur, viamque tibi sternens ad eum gratiæ locum apud Sinarum Regem ejusque Consiliarios, ut solutus ipse gravibus molestiis, quas diu magno fortique animo pertulisti, sociosque tuos Missionarios ab exilio revocaveris, & religionem ipsam non solum pristinæ Libertati dignitatique restitueris, sed etiam ad meliora in dies speranda provexeris: Nihil enim est quod Dei adjutrice gratiâ sperari non possit, te tuique similibus viris apud gentem istam religionis causam agentibus, & Rege ipso ingenio tam solerti atque animo ad Christianam pietatem propenso, sicuti præ cæteris declarant, quæ is autoritate consilioque tuo adversus Hæreticos, Schismaticosque mandavit; cum è contrà Catholicos Lusitanos omni amoris atque humanitatis significatione complexus sit. Reliquum est, ut merito, quod in commissâ tibi Provinciâ gerendâ egregium hactenus comparasti, recentibus quotidie religiosi zeli consuetæque industriæ documentis majorem cumulum adjungas: in quod opus omnia tibi à Pontificia charitate, & ab hac sancta Sede polliceri debes; cum nihil antiquius pro Pastoralis nostri munere habeamus, quàm Christi fidem feliciter adolescere & propagari in nobilissimâ istâ & florentissimâ orbis Terrarum plagâ, quæ quidem quam-

vis à nobis immenso penè terrarum tractu sejuncta sit, proxima tamen, imò præsentem facit charitas Christi, cujus impulsu in populorum Sinensium æternam salutem sollicitudinis nostræ oculos curasque continenter intendimus: Pii interim laboribus & conatibus tuis, tuorumque sociorum bene precamur, & paterni, quo vos & omnes Sinensis Regni Fideles in Domino complectimur, amoris indicem Apostolicam Benedictionem vobis peramanter impertimur.
DATUM Romæ, die tertiâ Decembris 1681.

Juxta Exemplar Romanum.



Die Stadt Paderborn ist eine
sehr alte und berühmte Stadt
in der Provinz Westfalen.
Sie ist die Hauptstadt des
Bistums Paderborn und
hat eine sehr schöne
Kathedrale.
Die Stadt ist sehr schön
gebaut und hat eine
sehr gute Lage.
Die Stadt ist sehr
fruchtbar und hat
eine sehr gute
Ernte.
Die Stadt ist sehr
gesund und hat
eine sehr gute
Luft.

